



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet**

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &  
Festos, ab ipso Auctore confectus

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1651**

12. Cur Deus Fideles potiùs fame puniat, si sint intemperantes. quàm infideles?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-45701**

singulas horas immerfos; non appellari de flagitio, quo sanitas, natura, DEVS offenditur; & ob quod pagi, vrbes, Prouinciæ affliguntur, omnia ad exitium fugiendum consilia exquiruntur; de vera & vnica malorum tollenda causa, hoc est, de euitandis peccatis, non satis seria, constans, efficax est deliberatio, non executio; reduuiam curamus, incurata manet tabes; lenimenta dolori conficimus, hæret in vris causa morbi; riuum siccamus, non obturato fonte; discutimus fumum molestum oculis, ignem fouemus vrentem viscera. Seiungi illa non possunt, quæ nexu indissolubili sunt deuincta, culpa & pœna. Admittenda sunt, quæ misericorditer DEVS coniunxit, pœnitentia & venia. Dolendum non de pœna, quæ salubris, sed de culpa quæ exitiabilis est. Lachrymas multis extorquet pœna, quæ sentitur; sed abest detestatio culpæ, quæ blanditur. Quàm multi dolent, non quia in sanitate & iustitia, in ieiunijs, in orationibus, in templis, & spiritualibus exercitijs DEO seruire nequeunt, sed quia opes, deliciæ, epulæ, comotationes, cæteræ cupidines, hostium aduentu, sunt excussæ. Ad hoc orant, ad hoc anhelant, vt per pacem, ad cupiditates redeant explendas, ne publicis calamitatibus turbentur priuatæ voluptates. Quo in morbo, si ipsi jacent, quorum esset curare, sera est spes sanitatis. Quo pacto iudex sententia sua damnabit eos, quos confirmat vita sua? Siquidem, vt Philo dixit: *absurdum est, criminibus teneri eos, qui alijs jura exaquant & administrant.*

Stob. ferm.  
309.

XII.

Nec est, quod quis dicat, vbique vigere hoc vitium gulæ; nusquam non agitari conuiuia; apud Ethnicos & DEI hostes maximos, temulentia esse peruicaciorem furorem; & fatentur eorum non pauci, prouincias suas magis Baccho, seu Cereri, seu Semeles filio, quàm Thebas ipsas esse sacratas. Cur igitur ad eos fames non migrat? cur hostis illorum agros non depopulatur? cur nos plectimur, illis est impunè, quos sibi totos subiecit venter, *tamquam mediastinos improbos quotidianis laboribus infernientes,* vt Theognis ait? Imprimis disputari potest, vbi hoc vitium magis inualescat. Tanta enim reperitur etiam apud Christianos exorbitatio, vt videantur cum Apicijs & Sardanapalis velle de luxuria certare. Deinde demus, maiores alibi excessus inueniri, & viuere

Idem Stob.  
ferm. 17.

allogon

X

& viuere



& vivere infideles quosdam, more porcorum, quid mirum? Illis cum vera fides desit, in tanta errorum varietate, non est cura disciplinæ. Nobis Deus grauius irascitur, post fidei gratiam ingratiss; non est eadem ebrietas Ethnici & Christiani, fidelis & infidelis. Nos Deus castigat vt filios; illos referuat ad maiores plagas, vt seruos. Nec enim illos relinquet impunitos. Nos plectit, vt emendet; quod ipsum est beneficij genus. Sanare vult, quos de saturitate languidos cogit famere. *Fruitiones & voluptates, quæ non per iannas ingrediuntur, ex Antisthenis sententia, opus habent aut seclione, aut helleborismo, aut fame macerari: vt malas pœnas luat illa ingurgitatio, quam breuissima voluptatis gratiâ admisimus.* Trahit quidem communem pœnam secum omne delictum, sed hoc vitium, præter commune conscientia flagellum, ac suam propriam vanitatem, in Christianis etiam fame punitur, vt sanetur. Commune illud est omnibus, quod Democritus animaduertit, vt qui ventris voluptates sequuntur, edendo, potando, Veneris illocebris tempus fallentes, breue omnino delectationis tempus habeant, interim dumtaxat, dum edunt ac bibunt. Cura verò ac tristitia multa sequuntur. Semper etenim earundem rerum desiderio torquentur: & cum, quæ appetunt, nacti fuerint, voluptas confestim transit, cum nihil in se boni, quam momentaneam titillationem habeat: itaq, mox rursus iisdem indiget. Hæc pœna communis est omnibus, qui se sinunt decipi à voluptate. Aliam quidem illam famis pœnam, etiam alijs gentibus, certas ob causas, immittit subinde, ne creaturis adeò abutantur, atque vt è vita etiam sublata ad promerita supplicia abripiantur; suis autem fidelibus, vt isti sapiant, & confugiant ad nutritorem suum, per pœnitentiam, cuius beneficia contempserunt. Hoc intellectu exclamat Amos Propheta: *Audite verbum, quod locutus est Dominus super vos, filij Israël: super omnem cognationem, quam eduxi de terra Egypti, dicens: Tantummodo vos cognoui ex omnibus cognationib' terræ. idcirco visitabo super vos omnes iniquitates vestras.* Nimirum, vt medicus, non reuertitur ad ægrotum, neque ei pharmacum præscribit, de quo desperat sanando; illum autem, de cuius valetudine restauranda sibi confidit, vrit, secat, ligat, & nihil non adhibet curæ; ita Deus, sæpe suos, præ alijs plectit, & fame conficit, quod non facit peioribus, in quibus

Stob. loc. cit.

Ibid.

Amos 3. 2.



quibus restituendis oleum & opera perderetur. Neque diuina sapiunt, qui existimant, nimis crudelem esse pœnam, famem induci, per totas regiones, ob conuiuiorum hilaritates, & , vt vocant, inuitantium amicitiam atque charitatem. Nam hoc etiam ad cumulum peccantium culpasque accedit, excusare delicta, accusare seueritatem visitantis, irasci suadentibus pœnitentiam, & iustitiam punientis defendentibus. Quæ verba his respondenda sunt? Silendum est, vt in summis malis fieri solet. Siquidem plorare magis conuenit deploratos, quàm loqui non audituris. Audiant tamen Dominum exercituum, & metuant, & contremiscant. *Audite verbum hoc vacca pingues, quæ estis in monte Samaria: quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes: quæ dicitis dominis vestris: Afferte, & bibemus. Iurauit Dominus Deus in sancto suo: quia ecce dies venient super vos, & leuabunt vos in contis, & reliquias vestras in ollis feruentibus.* Hic optimates quosque, non boues aratores, sed, per sarcasum, vaccas pingues appellat; quia residentes domi, ventri & gula seruebant, opprimendo egenum, & confringendo in iudicio pauperem, vt bona illorum in suos redigerent vsus, ait ibidem Strabus. Itaque *leuabunt vos in contis, ait, & reliquias vestras in ollis feruentibus*, quemadmodum vaccarum carnes in vectibus solent leuari, & postea in ollis feruentibus coqui. Nam populus ille impius ab Assyrijs erat obsidendus, & post multas calamitates fame pestilentiaque in oblectis ciuitatibus excoquendus. Neque hæc ad decem dumtaxat tribus dicebantur, sed ad nos quoque, quos non par est in pœna impares esse ijs, quibus sumus in culpa pares.

## CAPVT IX.

*Famis, ad charitatem exercendam vsus; & abusus ad exercendam immanitatem.*

I.



Ratores quidam, aut declamatores, vt se indicendo exercebant, paradoxa quædam sibi ad dicendū sumpserunt argumetra. Quidam Helenam, Paridem alij; alij podagram, nonnulli ipsam pestilentiam laudauerunt. Quædò æquius etiam Famem verbis extollere potuerunt? Quæ sanè,